

Za
3264





9039

La 3265

2

**RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS**

ad

amplissimum funus professorium

V I R I

Perquam Reverendi, Nobilissimi & Consultissimi

DN. JOHANNIS BORNII,

Jcti celeberrimi, Antecessoris in hâc Acad.

meritissimi, Curiae provinc. Advocati, Fac.

Jur. Assessoris, Acad. Decemviri,

Canonici Numburg.

CIVES ACADEMICOS

post III. pomerid.

invitat.

2





Domum JurisConsulti totius civitatis esse oraculum, Romanæ suadæ medulla 1. de Oratore scriptum reliquit. Ut in populo DEI, posteritate Semi, DEUS ex arcæ operculo, vel per Urim & Thummim, vel per Prophetas responsa de futuris dabat: ita Simia DEI & ἀντίτεχνον in posteritate Japeti ad quercetum Dodonæum, & Chami ad fontem Hammonis (quibus antiquissimis oraculis lapsu temporis accedebant & alia) de futuris quæsitus respondebat. Quò verò gentilium hæc oracula minùs fallerent, & ita suam autoritatem tuerentur, ἀμφίλοξα erant & ἐπιμφοπέριζοντα, ut quæcumq; tandem in partem eventus caderet, vera dixisse viderentur. Quam ob causam quibusdam in locis (ut in Ægypto) pectorale, cui nomen ἀληθείας inscriptum ad Urim & Thummim in pectorali Aaronis dubio procul respiciens, Sacerdos gerebat. Quorsum indicem digitum intendisse videtur Interpp. Bibliorum LXX. viralis, cum illud ipsum Urim & Thummim à verbis non parùm deflectens per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν reddidit. His oraculis propter autoritatem & certitudinem eventus JurisConsultorum responsa de rebus gravibus & ancipitibus Cicero comparavit. Unde nata proverbia, quòd sententias graves, mentem fluctuantem in dubiis casibus instar anchoræ sacræ sistentes, oracula & velut ex tripode (ubi oracula dabantur) prolata nuncupemus. Ut verò Sacerdotes V. T. qui dubiis in casibus, ut hodie JurisConsultorum Collegia, responsa

sponsa dabant, secundum leges pronunciare jubebantur: Ita Juris Consulti, de quibus allegato loco Cicero loquitur, secundum leges duodecim tabularum. Has ita commendat Autor iste omni exceptione major, & Juris Consultus & Consul Romanus de publico meritisimus: Bibliothecas omnium Philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere & utilitatis ubertate superare. Cum emolumento certe insigni prudentum hæc responsa futuras tempestates velut è specula prævidentium (nec enim frustra τὸ χρηματίζεσθαι & oraculo admoneri & locupletari Græcis significat) erant conjuncta. Ecquis enim scopulos navigationem infestam reddentes præmonstrantem magno cum suo commodo non sequeretur? Ecquis in æstuante mari portum ostendentem & naufragium præsentissimum avertentem certo cum suo lucro & compendio non auscultaret? Quare ut conticinium oraculorum triste gentilibus & acerbum: ita quando J. Cti celebres & Viri prudentes, ὄμμα τῆς εὐπείρας, ut Philosophus 6. Eth. loquitur, habentes, totius alicujus urbis & provinciæ oracula per mortem publico detrimentosam & ominosam ablata conticescunt, non insuper hic defectus habendus, sed publico luctu venit prosequendus. Id ipsum (ut tandem liceat πείραν λόγῳ) nobis impræsentiarum usu venit, cum nudius quartus per mortem, non quidem crudam & immaturam, sed tamen improvisam Viri perquam Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi Dn. JOHANNIS BORNII, in Silmersdorff hæreditarii, J. U. D. & Antecessoris in hac Academia famigeratissimi, Facultatis Juridicæ Assessoris, Dicasterii provincialis Advocati, Academiæ Decemviri & Numburgensis Canonici de singulis Collegiis meritisimi jacturam



ram non leuem, sed cum intertrimento publici non exiguò conjunctam fecimus. Verè siquidem oraculi loco de gravibus & dubiis rebus domi forisq; respondens, pauperum asylum, oppressorum refugium & errantium altissima pharus haberi poterat. Silentii sipario juniorum in legibus institutionem, cum nominis omen habens velut ex fonte perenni aureum eloquentiæ flumen quotidie fundebat, & ad ferendum fructus uberes pectora tenella rigabat, ne parum dicendo laudes debitas obscurare potius, quàm deprædicare videamur, hinc involvimus. Propter oraculum hoc deficiens & fontem exsiccatum meritò lugemus, & quia dies hodiernus exequiis dictus est, vitæ *ὁδοιπορίαν* Beatissimi nostri BORNII, sed Herculem tamen potius ipsum, quàm exuvias, quibus tegitur, adumbrantes, quem ad exemplar posteritatis confecit, hinc recensemus. Natales debuit Lipsiæ, ubi Parentibus integerrimis & nominatissimis ipsis Nonis Quintilis anno 1600. in lucem fuit editus. Patrem habuit Virum Industriam & Egregium Dn. JOHANNEM BORNIIUM, civem & Mercatorem probæ monetæ, Matrem antiquæ virtutis Effigiem amussitatam ANNAM, Viri Amplissimi & Prudentissimi Dn. BARTHOLOMÆI Scherls/Senatoris hoc in loco meritisimi filiam. Ab his, postquam per lustricum sacrum Ecclesiæ concorpor factus esset, quod à teneris ad studia videretur *ἀφίεσθαι*, Musis fuit consecratus. Antequàm verò ex ephebis excederet, informationi dexterrimæ Polyhistoris decantatissimi Dn. M. JOHANNIS FRIDERICI, L.L. & Histor. Professoris, & postmodum, ut fundamento in humanioribus & artibus Logicis probè jacto superstrueret, Theologi celeberrimi & de CHRISTI Ecclesia meritisimi, tum temporis Professoris Organici, Dn. D. HENRICI HÖPFNERI commise-

miserunt. Horum *καταγωγία* prescè secutus ita in Phi-
 losophicis profecit, ut primitias honorum in isto studio
 anno 1617. coronidem anno 1619. non sine bonorum
 omniū applausu & Parentis gaudio singulari consequeretur
 Quia verò studio juris sese addixerat, informatione Jcti &
 Antecessoris magni nominis Dn. WILHELMISCHMUCCIUS
 disputationem publicam de Culpa sub ejusdem præsidio
 cum laude habuit. Ex eo, cum primum ab ore Domi-
 norum Profess. in jure ac Ordinariorum Domini D. FRAN-
 CISCI ROMANI & Dn. D. SIGISMUNDI FINCKEL-
 THUSII, Virorum celeberrimorum ἀπεξέπεpendisset, in
 Altorphinam se contulit, & ibidem ad pedes magnorum
 Jctorum Dn. ANDRÆE DINNERT, Dn. ERASMI UN-
 GIBAUERI, Dn. LUDOVICI SCHOPPERI & Dn. JOH.
 LIMNÆI sedens quatuor speciminibus, de publicis judi-
 ciis, de origine juris, de Academiis, de jurejurando habi-
 tis disputationibus eruditioni non vulgari hederam præ-
 fixit. A Domino Parente verò domum vocatus, cum
 prius Urbibus Imperialibus perlustrandis temporis nonni-
 hil dedisset, vergente anno 1621. Lipsiam repetiit, ut stu-
 dio juris colophonem imponeret, animum intendens. Id
 quod feliciter præstitit, cum gradum Baccalaureatus an-
 no sequenti *χεροτομία* suorum in studio juris Præcepto-
 rum impetravit, & in Galliam (ubi præcipuas Academias
 lustravit) excursionem factâ, perq; provincias Belgicas do-
 mitione institutâ, gradum Licentiæ anno 1626. tandem-
 que Doctoralem anno seq. bonorum omnium congra-
 tulatione impetravit. Eodem anno, præmissis præ-
 mittendis, ardentibus ad DEUM precibus & consensu
 suorum fidem Conjugalem dedit Virgini tum temporis
 sui sexûs, ætatis & generis Exemplari edecumato ANNÆ
 SOPHIÆ, Viri Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi
 Dn.



Dn. LUDOVICI WILHELMI MOSERI, Jcti, Serenif-
 simorum Sax. Electorum CHRISTIANI II. & JOHANNIS
 GEORGII, nominis hujus Primi glorios. record. Consi-
 liarii & intimæ admisionis Secretarii Filiæ, cum qua per
 annos 33. inter amoris Conjugalis reciproci, , sinceri, mi-
 nusq; fucati contentiones *ἰσοδυσῆς* suaviter vixit 8. libero-
 rum utriusq; sexûs Parens factus, de quibus duo filii, duæ-
 que filiæ Dn. Parentem obitu suo anteverterunt, filiæ verò
 duæ omni bonorum genere cumulatisimæ, in spem fa-
 miliaæ splendidissimæ educatæ, nominatim ANNA DORO-
 THEA, Viro Amplissimo & Prudentissimo Dn. WOLFF-
 GANGO PEILLIKIO, Senatori & Ædili Reip. patriæ meri-
 tissimo, suisq; Majoribus laudatisimis non inferiori vitæ
 confors cesit, & Virgo selectissima MARIA, nec non duo
 Filii, nominatim, Vir juvenis PerEximius & Clarissimus
 Dn. JACOBUS, J. U. Cand. & HEINRICUS Bonar. Art.
 Studiosus ad honorum fastigia per paterna vestigia con-
 tendentes adhuc in vivis agunt, Dn. Parentem, capitis co-
 ronam, âcerbè lugentes, quorum partim educationi ple-
 nariæ, partim in rebus agendis progresibus, omniq; vitâ
 divinam benedictionem & quævis prosperrima cordici-
 tus apprecamur. Postquam dibapho Doctorali jam con-
 decoratus esset *ὁ μακροῦς* in foro pragmatico Clientum
 causas orare, studiaq; juridica in succum & sangvinem
 convertere cœpit. Innotescente verò Ipsius in tractandis
 negociis dexteritate ac integritate, Serenissimus Sax. Ele-
 ctor JOHANNES GEORGIUS I. glorios. recordationis
 Advocatorum in Dicasterio provinciali numero *τὸν ἐν
 αἰόλῃ* anno 1637. clementissimè adscripsit. Hanc mune-
 ris functionem anno seq. Assessura in Fac. Juridica, &
 cùm informatione suâ intra privatos parietes juventutis
 studiis velificatus prius fuisset, professoria dignitas, in qua
 etiam


9090

etiam per gradus ascendit, anno 1645. excepit. Tandem, ut laborum circa professionem exantlatorum, cum tenuioribus, nec tamen exigibilibus Professores in Academiis alantur salariis, aliquo frueretur solatio, à Concilio Nationali Canonicus Numburgensis anno 1645. & Academiae Decemvir anno 1658. fuit lectus. In quibus sibi demandatis officiis tam castè versatus fuit, ut DEO conscientiam puram & illibatam, superioribus fidem, proximo inserviendi studium probaret, quæ ratio fuit, quòd & dignitates ambulatoriæ Rectoratus, Pro-Cancellariatus & similes ad Ipsum fuerint devolutæ, commisionibus, quibus adhibitus fuit, sicco pede præteritis. In vita reliqua id agebat, ut non tantum ipse ad *προσελαμὸν* à Salvatore nobis relictum, inprimis humanitatis, patientiæ, modestiæ suas actiones componeret, sed & ipse aliis esset exemplo. Quare congregationibus sacris agglutinabatur, epulique sacri perceptione publicorum conventuum nervum arctius constringebat, fidei radios per opera charitatis foras mittebat, & cum ingravescente ætate, vires indies magis magisque decrescere sentiret, pro tranquilla senectute, mortis prodromis abbreviandis & analysi beata quotidie preces ad DEUM fundebat. Voti hujus compos evasit, cum pridie Cal. Sextilis hujus post fufas preces matutinas, operibus vocationis intentus catarrho apoplectico, sole jam jam culminante, infestabatur. Hoc ipso enim non tantum vires corporis penitus prosternebantur, sed & memoria tam expeditè, ut antea, suum non amplius officium faciebat. Quantumvis autem nullis mediis & remediis hinc fuerit parsum, tantum tamen abfuit, ut vires collapsæ instaurarentur, ut & magis magisque deficerent, & ipse *ὁ ἐν θύμῳ* somno profundo, absque tamen doloris sensu, sopiretur. Quoties autem intervalla sentiebat, suspiriis & preci-

precibus ardentissimis in auribus Divinae Majestatis insonabat, prout tandem visitatus à Verbi Ministris, verbis his ultimis: Misere, fiat, proximâ feriâ septimanæ sextâ post μεσονύκτιον, personâ suâ per annos 60. cum spacio mensurno decenter actâ, in manus Salvatoris animam suam exhalavit. Ita hoc civitatis oraculum obmutuit: ita prudentiæ fons exaruit. Vos, ô Themidos filii, qui manibus Præceptoris hujus formati estis, flores & amaranthos piis manibus adspargite: Vos Clientes, quorum causas gratis oravit, a omni pulvere desideratos cineres miscete. Nos gratam piè defuncti memoriam servaturi exuviis terras molles, animæ sanctæ in sinu Abrahæ solatium & sempiterna gaudia precantes ad dormitorium suum post auditam III. funus comitabimur. Quò verò jurisdictioni nostræ subjecti frequentes nobiscum in funus procedant, & honoratissimæ familiæ dolorem eo ipso humanitatis officio quoad antenus levent, præsentibus jubemus. P. P. VII. Id. Sext. Anno M DC LX.

Literis Colerianis.





ULB Halle
003 730 506

3





RE
ACADEM

amplissim

Perquam Rever

DN. JOHA

JCti celeberrim

meritisimi

Jur. Ass

CIVE



39

SIS

ni
III,
cad.

2

